

Decreto de la Signatura Apostólica de 23 de noviembre de 2005

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Prot.n. 37766/05 CA

ILERDEN.

Iurium: Recursus adversus decretum Congregationis pro Episcopis diei 8 septembris 2005

Praeliminaris: Suspensionis

(Exc.mus Episcopus Ilerdensis-Congregatio pro Episcopis)

Lato ac notificato decreto quo Congregatio pro Episcopis die 8 m. Septembris a. 2005 de bonis patrimonialibus decrevit, quorum dominium ipsa ad paroecias dismembratas a dioecesi Ilerdensi dioecesi que Barbastrensi-Montisonensi agglutinatas pertinere statuit, Exc.mus Episcopus Ilerdensis ad N.S.T. provocavit, simul petens ut impugnati decreti exsecutio suspenderetur, quae in praefato decreto statuitur «en el plazo de treinta días a partir de la notificación de la presente resolución».

Re cum Congregatione pro Episcopis ad normam art. 113 § 1 *Normarum Specialium* communicata ac eiusdem Dicasterii responsione negativa una cum actis causae die 7 m. Novembris a. 2005 accepta, Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus votum suum prompsit.

Quibus praehabitis,

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Considerato quod iuxta H.S.T. iurisprudentiam exsecutionis suspensio decernitur quoties, fumo boni iuris quo gaudet recursus pro comperto habito, irreparabile damnum parti victrici ex subitanea et praevia actus impugnati exsecutione obvenire perspiciatur;

Attento quod nullum damnum, quod per se reparari nequeat, Exc.mo Episcopo Ilerdensi ex subitanea decreti impugnati exsecutione inferri in casu videtur, cum sin-

gula bona patrimonialia mobilia ab uno ad aliud locum transferi possunt, quin pesumdentur;

Visis ex analogia cann. 1496-1499 praescriptis;

Vi art. 113 *Normarum Specialium* H.S.T.;

Re sedulo examini subiecta in Congressu coram infrascripto Praefecto die 23 m. Novembris a. 2005 habito,

DECREVIT:

1. Petitam suspensionem concedendam non esse ac non concedi;
2. Exc.mo Episcopo Barbastrensi-Montisonensi praecipendum esse ac praecipii ut ipse bona, de quibus in decreto impugnato, donec hic recursus pendet, omnia in unum in eodem iuris ac facti statu conservanda curet, expressa interdictione facta cuiusvis alienationis, locationis aliusve contractus onerosi;
3. Congregationi pro Episcopis suadendum esse ac suaderi ut ipsa Exc.mo Episcopo Barbastrensi-Montisonensi imponat omnia quae pressius; aptam ac tutam bonorum, de quibus in decreto impugnato, custodiam concernunt.

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 23 m. Novembris a. 2005.

Augustinus Vallini, Praefectus.
Velasius De Paolis, c.s. Secretarius.